



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 70. Seditiosa Hugonotarum in Galliis molimina adversus Regem,  
ejusque auctoritatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII.  
A. C. 1621.

§. LXX.

*Seditiosa Hugonotarum in Gallis molimina adversus Regem, ejusque auctoritatem.*

Cum interea Protestantes in Germania Cæsaris auctoritatem, & Catholicorum Principum potentiam sub afflictæ religionis, læsæque libertatis obtentu concutere, totis viribus adlaborarent, Hugonotæ in Gallis nil intentatum, inausumque reliquere, ut everso Monarchico Regimine Democraticam Hollandæ Reipublicæ normam in Galliarum quoque Regnum invehere possent. De iniquo hoc eorum proposito omni data occasione sub Regum Prædecessorum Regimine haud obscura promicabant indicia: Postquam vero Ludovicus XIII. Gallici Regni habenas moderari cæperat, tum Hugonotæ haud dissimulanter, in Rupellensi suo conventiculo, quod tamen Rex indicta læsæ Majestatis pœna jam Mense Octobri anni prioris dissolvi præceperat, hoc consilium non modo in medium protulere, sed etiam sancita lege stabiliverunt, vi cujus in nova hac Republica ex omnibus Franciæ Hugonotis conflata duntaxat omnium Provinciarum Deputati una congregati

O 4

supre-

*Calmet Hist. Univ. l. 151.*  
*Serres Hist. Franc. pag. 962.*  
*Daniel hist. de France tom. 10.*

Sæc. XVII. A. C. 1621. suprema valerent auctoritate, ac soli  
tam Curia, quam militiae Præfectos  
 nominarent, æraria administrarent, & cetera majoris momenti negotia expediri juberent. Ne vero intra nuda legis verba hæsisse viderentur, cuilibet ex sectæ suæ Proceribus cujusdam Provinciæ Præfecturam commiserunt, ut ex primo Rupellensis conventus articulo elucet. Nec his satiata erat usurpata eorum dominandi libido; insuper enim particulare sigillum, quo sua diplomata, belli indictiones, vectigalium Regionum exactiones, mandata, & si quid ultra Regium est, munirent, confici curarunt, cum hac inscriptione: *Pro Christo & grege.*

## §. LXXI.

*Bellum a perduellibus Calvinistis contra Regem suum in Rupellensi conciliabulo decretum.*

Hæc, cum impune a Rege tolerari cernerent Calvinistæ in Amiliano conventu congregati, mox Monæum Rupellam, ubi jam Provinciarum Oratores, hujusque sectæ Ministri, *superba gens, & impatiens jugi*, convenerant, ablegarunt, ut hos ad parandum bellum concitaret. Hoc nuntio nil optatius accidere poterat Rupellensibus, qui

*Gramoud.  
 Hist. Gall.  
 l. 6. & 7.  
 Theatr.  
 Europ.  
 pag. 666.*